

Quid de TE dicam, GEITHNERE MAXIMOPERE COLENDE? quid de singulari TUO in me favore? quid de humanitate TUA? Non possum, quin gratus praedicem, me ex egregia, quae TE ornat, doctrina, me ex jucundissima TUA consuetudine, fructus percepisse maximos. Itaque impense laetor, TE nobis datum Praesulem, quem digniorem exoptare non possumus, doctrina, gravitate, meritis conspicuum. Benige igitur accipiatis, VIRI SUMME REVERENDI, hancce commentationem, diuturnae quidem elaborationis diligentia haud commendabilem, tamen bono mentis affectu conscriptam. De muneribus nuper acceptis, ingenii, doctrinae, virtutis meritorumque de republica sacra VESTRORUM praemiis, amicé gratulor, nihilque ardentius opto, quam ut per longam annorum seriem iisdem praesitis. Deum, cuius nutu omnia sapientissime gubernantur, religiosissimis his precibus veneror, ut vos Vestrasque Familias Honoratissimas, quam diutissime incolumes sospitesque conservet, omnium bonorum, quibus humana felicitas censetur, copia, augeat, fortunatumque laborum VESTRORUM successum vobis largiatur, quam benignissime. Quod reliquum est, vos precibus meis hoc daturos esse confido, ut me inter eos, qui vos sincere amant, pie colunt, magni aestimant, quovis tempore referre pergatis. Ego vero sancte polliceor, me numquam quidquam esse intermissurum, quo VESTRO favore VESTRAQUE benevolentia me semper digniorem reddam.

AMPLISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

CVLTOREM ADDICTISSIMVM

CAROLVM GOTTLOB KOEHLER.